

De Romanorum studiis philosophicis

Libri quibus tota philosophia antiqua comprehenditur:

H(enricus) Ritter / L(udouicus) Preller: *Historia philosophiae Graeco-Romanae ex fontium locis contexta*, Hamburgi 1838

Eduard Zeller: *Die Philosophie der Griechen in ihrer geschichtlichen Entwicklung* (primum Tubingae 1844-1852) Lipsiae ⁶1919 (= Darmstadii ⁷1963), 6 uol., retractauit Wilhelm Nestle adiuuante Franz Lortzing

Idem: *Grundriss der Geschichte der griechischen Philosophie*, Lipsiae (primum 1883) ⁹1908, retractauit Franz Lortzing

Friedrich Ueberweg: *Grundriss der Geschichte der Philosophie: von Thales bis auf die Gegenwart*, 1863-1866; inde: *Grundriss der Geschichte der Philosophie des Altertums*, retractauit Karl Praechter, Berolini ¹⁰1909

Ueberweg / Praechter: retractauit et plane renouauit Hellmut Flashar (ed.): *Grundriss der Geschichte der Philosophie, begründet von F. Ueberweg, Die Philosophie der Antike*, 4 (siue 6) uol., Basileae / Stutgardiae 1983 (²2004]) - 2013 (opus a multis hominibus doctis copositum, nondum perfectum; exspectatur uol. 5, quod editurus est Christoph Horn)

Wilhelm Windelband: *Geschichte der alten Philosophie*, Monachii (1888) ²1894 (*Handbuch der klassischen Altertums-Wissenschaft* V.1, appendicem de mathematica et artibus physicis add. Sigmund Günther)

Hans von Arnim: „Die europäische Philosophie des Altertums“, in: *Allgemeine Geschichte der Philosophie (Die Kultur der Gegenwart*, ed. Paul Hinneberg, I 5), Lipsiae / Berolini ²1923, 94-263d

Karl Vorländer: *Geschichte der Philosophie*, Lipsiae 1903 (⁵1919); inde: *Philosophie des Altertums*, retractauit Erwin Metzke (locos e fontibus addiderunt Ernesto Grassi et Eckhard Keßler), Hamburgi (*rowohlts deutsche enzyklopädie*) 1963

Wolfgang Röd (ed.): *Geschichte der Philosophie*, uol. 13 (exspectatur uol. 14); ibi W.Röd: *Die Philosophie der Antike*, uol. 1, Monachii (1976) ³2009; Andreas Graeser, uol. 2, (1983) ²1993; Malte Hossenfelder, uol.3, (1985) ²1995

Friedo Ricken: *Philosophie der Antike*, Stutgardiae et al. (1988) ³2000

Wolfgang Röd: *Kleine Geschichte der antiken Philosophie*, Monachii 1998

Schola I: De philosophiae originibus Graecis

1. Vis nominis philosophiae patet: est „amor (siue studium) sapientiae“ (ἔρως τῆς σοφίας), non igitur ipsa sapientia, quam Plato docuit deorum esse propriam. Is tamen Amorem deum philosophum esse uoluit (conu. 203 D et saep.). Nam Socrates magister eius dixerat: *Scio me nescire* (non idem ac *Scio me nil scire!*). Sunt qui credant Platonem hanc uocem quasi inuenisse, sed eodem fere tempore etiam Isocrates ea usus est ad suam institutionem rhetoricam declarandam. Nonnulli autem Pythagorae hanc inuentionem tribuerunt, de quo Cicero iucundissimam historiam narrat (Cic. Tusc. 5,8 sq.). Romani eam primum dixerunt *sapientiam* (Enn. ann. 218), tum uerbum Graecum usurpauerunt. Sed *philosophari* iam saepe est in Plauto (Pseud. 974) et in Ennio. Lactantius Christianus rem cum nomine damnauit (inst. 3,16,7): *Abicienda est ... philosophia, quia non studendum sapientiae ..., sed sapiendum est.*

1. W. Burkert: „Platon oder Pythagoras? Zum Ursprung des Wortes ‚Philosophie‘“, *Hermes* 88, 1960, 159-177

2. W. Kranz et al.: „Philosophie I. Antike“, *Hist. Wörterbuch der Philosophie*, uol. 7 (1989), 573-616

2. Historiam philosophiae usque ad sua tempora ingeniose pertexuit **Aristoteles** (met. 1, 983 A sq.); tempora posteriora in arido scripto complexus est Diogenes Laertius, breuius Cicero (nat. deor. 1, 25-41). Dubitatum est num philosophia in Graecia nata esset; quam iam ueteres quidam Persis, Babylonis, Aegyptiis, Indis, etiam Gallis adscripserunt. Diogenes ille contra statuit a Graecis non modo philosophiam (quae barbarum nomen non haberet), sed etiam genus humanum originem coepisse. Aristoteles autem a sua doctrina de quattuor **causis** (αἰτίαι) proficiscitur, quae sunt essentia, materia, initium motionis, finem. Qui primos philosophos tantum de **materia** (ὕλη) quaesiuisse dicit, obscurius iam Homerum, apertius Thalem Milesium, qui aquam principium (ἀρχή) omnium statuerit; tum Anaximenem et Diogenem aera eumque infinitum, Hippasum et Heraclitum ignem; Empedoclem autem quattuor elementa, Anaxagoram innumeras homoeomerias. Eundem etiam in **principium motionis** inquisiuisse idque uidisse in Mente (νοῦς), quae omnem mundum regeret.

Empedoclem autem duo talia repperisse, scilicet amicitiam et discordiam inter se contrarias. His addit Democritum et Leucippum atomorum (i.e. indiuiduorum) et uacui inuentores. Iam antea autem extitisse Pythagoreos, qui omnia in numeris aut numerorum elementis ponerent. Parmenidem autem Xenocratis discipulum nihil esse nisi quod sit idque esse unum comprobauisse, postea autem concessisse esse etiam plura, ne nimis a communi sensu dissentiret. Hos omnes Aristoteles eis comparat, qui in armis pugnent neque artem didicerint.

3. J. Maansfeld / O. Primavesi (ed.), *Die Vorsokratiker*, griech. u. deutsch, 2011

4. H. Flashar et al. (ed.): *Die Philosophie der Antike*, uol. 1: *Frühgriechische Philosophie*, 2013

3. Nos illos uocamus Praesocraticos, quoniam a **Socrate** omnem philosophiam nouatam esse credimus. Qui secundum Aristotelem nihil de natura rerum quaesiuit, tantum de moribus disputauit et definitionibus studuit. (Cui adstipulatur Cicero notissimo dicto: Tusc. 5,10 sq. et acad. 1,15.) Cuius discipulum Platonem primum ait adhaesisse disciplinae Heracliteae, quae omnia sensibilia fluere neque intellegi posse doceret, deinde propter illud Socratis studium peruenisse ad doctrinam illam idearum (ἰδέαι siue εἶδη): Eas solas esse et intellegi; quae autem sub sensu caderent, earum esse quasi imagines. Supra ideas autem esse illud Vnum, cuius ipsae participes essent. Haec igitur Aristoteles, qui non solum ea nouit, quae Plato in dialogis exotericis Socrate disputante exposuit, sed etiam quae ipse ab eo in Academia audiuerat. Eo autem tempore quo Socrates cum ciuibus discipulisque disputabat, docebant Athenis sophistae quoque, quos multi nunc philosophis adnumerant, ut qui hominum mentes a fabulis ad rationem traduxerint nec esse uerum quicquam putauerint. Sed certe nulla communione opinionum inter se coniuncti erant; contra scimus omnes docuisse rhetoricam.

5. H. Görgemanns: *Platon*, 1994 (186 p.)

6. Michael Erler: *Platon*, in: Hellmut Flashar (ed.): *Die Philosophie der Antike*, uol. 2/2, 2007 (792 p.)

Schola II: De philosophiae originibus Graecis, pars II

4. A Socrate tamquam a patre philosophiae fere omnes disciplinae posterorum initium sumpserunt. Nam Aristippus discipulus eius **Cyrenaicorum** princeps erat; qui docuit uoluptatem (ἡδονή) in singulis sectandam esse, unde uita beata fieret. Longe aliter Antisthenes, qui **Cynicam** disciplinam instituit, in laboribus (πόννοι) omnia posuit; quare pallio sordido, baculo peraque primus usus esse traditur. Atque auditor eius erat Diogenes, uitae tenuis praeco, qui etiam *Socrates furens* uocabatur. Cynici omnes uirtutem (ἀρετή) ut summum bonum sequebantur. Magis ad Parmenidem et artes logicas inclinabat Euclides alius Socratis sectator. Qui praeter bonum, quod unum et semper idem esset, nihil esse statuit. Ab eo fuerunt **Megarici**, inter quos nobilissimi Ebulides, Diodorus Cronus, Stilpo.

7. K.Döring: „Sokrates, die Sokratiker [...], in: H. Flashar (ed.): *Die Philos. der Antike*, uol. 2/1 (1998), 139-364

5. Inter hos Socraticos longe eminent **Plato**, qui magistrum iniuria supplicio affectum in *Apologia* defendit, deinde in prioribus dialogis eius morem philosophandi imitatus est, in posterioribus doctrinam idearum exposuit, in ultimis difficiliora themata immiscuit. Legebantur autem maxime *Gorgias*, accusatio rhetoricae, et *Phaedo*, qui est de immortalitate animarum. Aequae noti sunt libri *De politia*, quibus optima rei publicae forma delineatur et de educatione hominis quaeritur. Ex Academia autem, quam Plato condidit, sunt **Academicici**, primi Speusippus, Xenocrates, Polemo, postea ei, qui Noui Academicici appellabantur.

6. Platonis discipulus nobilissimus, nec tamen Academicus, erat **Aristoteles** uir uniuersae doctrinae. Qui inde ab insectis usque ad deum nihil sua curiositate indignum putabat, physica et metaphysica aequo studio tractabat, logicae rhetoricae poeticae, etiam politicae artibus uerissima fundamenta iecit. Qui tamen Platonis sententias potissimas refutabat; in omnibus magis communi sensui consulebat, quod in ethica maxime manifestum est. Sectatores autem eius disciplinae uocabantur **Peripatetici**, quorum primus erat Theophrastus suauitate styli insignis, tum Aristoxenus musicus, Dicaearchus, Strato, Critolaus.

8. H. Flashar & al.: *Ältere Akademie, Aristoteles, Peripatos*, in: *Die Philos. der Antike* (ut s.), uol. 1/3, 2004

9. idem: *Aristoteles – Lehrer des Abendlandes*, 2013

7. Aliam uiam ingrediebantur **Sceptici**, qui a ceteris eo differebant, quod nihil certo cognosci posse putarent, tamen uirtutem appetendam esse non negarent. Primus autem fuit Pyrrhon, cuius discipulus Timon ceteros ut dogmaticos etiam carminibus irridebat. Quos ex aliqua parte secuti sunt Noui Academicici. – Valde a ceteris scholis dissentiebant etiam Epicurei, quorum **Epicurus** magister in physicis Democriti doctrinam de atomis renouauit: inde ab aeterno illos cadere per uacuum infinitum, tum casu quodam inter se collidi et intricari, unde omnia nascerentur. In ethicis autem Aristippum sic secutus est, ut uoluptatem unam petendam esse diceret. Eam autem esse non solum in motu, sed etiam in omni priuatione doloris. A rebus publicis autem et a rhetorica omnibusque artium liberalium studiis sapientes auocabat.

10. M. Erler: „Die Schule Epikurs – Lucrez“, in: *Die Philos. der Antike* (ut supra) IV 1, 1994

11. W. Görler: „Älterer Pyrrhonismus – Jüngere Akademie – Antiochos v. Askalon“, in: l.c. IV 2, 1994

8. A Cynicis pendebant **Stoici** uirtutis acerrimi assertores. Nam **Zeno** scholarcha Cratetis Cynici discipulus erat; summus autem Stoicus erat **Chrysipus**. Inter maximas sententias illis erat illud *secundum naturam uiuere*. Sic etiam fieri ut constanter uiueretur. Naturam hominis autem esse positam in ratione (λόγος), quae etiam totum mundum forma ignea peruaderet. Bonam autem esse unam uirtutem, cetera indifferentia (ἀδιάφορα), quorum tamen pars magis, pars minus eligenda esset. Omnia autem fieri necessitate causis inter se serie continua subsequentibus. Multa nouauerunt Stoici in logica; etiam rhetoricae elocutioni operam dabant.

12. M. Pohlenz: *Die Stoa – Geschichte einer geistigen Bewegung*, 2 uol. 1947/8 (retr. 1972)

13. P. Steinmetz: *Die Stoa*, in: H. Flashar (ed.), *Die Philos. der Antike* IV 2, 1994, 495-717

Schola III: De philosophiae Romanae initiis

9. Aristoxenus Romanos quosdam iam saec. VI a **Pythagora** Crotone philosophia institutos esse scripsit. Quod sane Ciceroni probabile uidetur (Tusc. 4,1-4) propter carmina conuiuialia et *Carmen Appi Claudii Caeci* (cens. 312). At idem ratione temporum refutat fabulam, qua Numa rex Pythagoram audiuisse traditur (rep. 2,28 sq.). Quod tamen Ouidius quoque asseuerat (met. 15,1 sqq.). Atque certum est **Ennium** (+ 169) Pythagorea quaedam de *metempsychosi* Romanos docuisse. Qui in *Annalium* prooemio Homerum sibi somnianti uisum esse dicit et nuntiauisse: suam animam, quae diu in pauone fuerit, nunc transisse in Ennium (ut is quasi nouus Homerus esset). Praeterea Ennius uoluit simulacra quaedam mortuorum in Orco uersari (Lucr. 1,116 sqq.). Vnde uidemus eum Homerica et Pythagorica suo Marte inter se miscuisse. Videtur etiam non nihil de omni rerum natura docuisse, etiam in *Epicharmo*, in quo Iouem esse aerem dixit. Audacius in *Euhemero* siue *Sacra Historia* Euhemeri doctrinam exponit, qua di omnes olim fuisse homines siue reges magni dicuntur. Quare ut ἄθεος damnabatur.

14. F. Leo: *Geschichte der Römischen Literatur*, uol. 1, 1913 (it. 1967)

15. G. Garbarino: *Roma e la filosofia greca dalle origini alla fine del II secolo A.C.*, 2 vol., 1973

16. W. Suerbaum: *Die archaische Literatur – von den Anfängen bis Sullas Tod (HAW VIII 1)*, 2002

10. Romanos intentos fuisse sententiis philosophorum declarant comoediae Plauti. Fuisse Romae etiam Graecos qui talia docerent manifestum est ex eo, quod a. 173 (?) duo doctores Epicurei ex urbe expulsi sunt; a. 161 etiam S(enatus) C(onsultum) factum est *de philosophis et rhetoribus ... Romae ne essent* (Suet. gramm. 25,1). Id quod certe non ad magistros priuatos pertinebat. Velut L. Aemilius Paulus suis filiis (inter quos erat Scipio minor) adhibuit magistros *grammaticos, rhetores, sophistas*, i.e. philosophos (Plut. Aem. Paul. 6,8 sq.). Minus grati erant **a. 155** philosophi nobilissimi Diogenes Stoicus, Critolaus Peripateticus, Carneades Academicus, qui legati Athenienses ad senatum missi erant. Nam non solum ibi eloquentia excellebant, sed etiam orationibus, quas publice habebant, iuuentutem ad admirationem sui summam mouebant. **Carneadis** uero uis ac gratia tamquam spiritus feruens perflauisse urbem traditur, ut adulescentes amore philosophiae accenderentur (Plut. Cat. mai. 22). Dixit autem altero die pro iustitia, altero contra iustitiam, cum affirmaret Romanos, si iusti esse uoluissent, tantum imperium augere non potuisse (Cic. rep. 3,21). Quod aegre tulit **Cato**, qui in senatu censuit semouendos illos, ut cum pueris Graecis disputarent: Romanam iuuentutem legibus oboedire et magistratibus. Qui omnino Graecis litteris infensus fuisse traditur (Plin. nat. 29,14). In *Carmine de moribus* ueterem disciplinam etiam coquis et poetis inimicam laudauit.

17. M.Griffin: „Philosophy, politics, and politicians at Rome“; J.Barnes / M.G., *Philosophia togata*, 1989,1-37

11. Contra **Scipio minor** (cos. 147) philosophiae operam dedisse uidetur. Qui homines rebus prosperis exultantes uelut equos *in gyrum rationis et doctrinae* deducendos esse dixisse fertur (Cic. off. 1,90), quod tamen non minus Romanum quam Graecum est. Fuit autem amicus primum Polybii historici, cui se tamquam magistro commendauit (Pol. 31,23 sqq.), postea Panaetii Stoici, quem domi militiaeque secum habuit. Creditur etiam hoc quasi duce secum habuisse amicos nobilissimos ut Laelium, Furium Philum, Aelium Tuberonem, alios, ut esset quidam *circulus Scipionis*. Quos inter se de quaestionibus philosophicis disputauisse uolunt. Sed ista omnia e libris Ciceronis fluxerunt, praesertim eis quos *De republica* scripsit. Nec uerisimile est inde exortam esse uocem *humanitatis*, quae a nonnullis ad Panaetium refertur. Quae tempore Sullano denique inuenta uidetur; designauit autem primum „naturam hominis“, tum duas uirtutes proprie humanas, „misericordiam, clementiam“ et „facilitatem, urbanitatem“. Cicero denique addidit notionem „eruditionis et litterarum“, unde uenerunt *studia humanitatis* et saec. XIX *Humanismus*. Origo uerbi certe non in philosophia posita est: Nam Scipionis amici quotiens philosophice disputabant, Graece agebant.

18. R. Harder: „Die Einbürgerung der Philosophie in Rom“ (1929), in: R. H., *Kleine Schriften*, 1960, 330-353

19. H. Strasburger: „Der Scipionenkreis“, *Hermes* 94, 1966, 60-72

20. W. Stroh: „De origine uocum humanitatis et humanismi“, *Gymnasium* 115, 2008, 535-571

Schola IV: De Cicerone adolescente philosophiae studioso

12. E poetis **C. Lucilius** in saturis multa philosophica habet. Eorum qui in re publica uersabantur **Tib. Gracchus** secum habuit Diophanem rhetorem et C. Blossium philosophum Stoicum. M. Antonius a.103 Athenis interfuisse dicitur disputationi inter philosophos et oratores, num rhetorica ars putanda sit (Cic. de or. 1,82-93). Atque L. Gellius Poplicola ibidem omnium scholarum philosophos conuocauisse traditur, ut ipse earum controuersias componeret (Cic. leg. 1,53). Pro philosopho autem **P. Rutilius Rufus**, *exemplum innocentiae*, in iudiciis se gessit (Cic. de or. 1, 227-231): qui et alios reprehendit, quod indignis modis, lacrimis et fletibus misericordiam iudicum commouissent, et ipse, cum capitis accusatus esset a talibus abstinuit (quare etiam damnatus est). Quod Stoicae disciplinae a Panaetio traditae (Cic. Brut. 114) et exemplo Socratis tributum est. Sed nemo eorum Latine philosophabatur. Nam C. Amafinius et Rabirius Epicurei (Cic. Tusc. 4,5-6; ac. 1,5), quos circiter a. 100 Latina *uulgari sermone* scripsisse opinantur, aliquanto postea fuerunt.

21. H.H. Howe: „Amafinius, Lucretius and Cicero“, *AJPh* 77, 1951, 57-62

13. M. Tullius **Cicero**, artibus liberalibus eruditus, Phaedrum Epicureum primum audiuit, tum etiam Diodotum Stoicum. Sed ut nemo **Philo** Academicus eum tenuit, qui a. 88 Romam uenerat: *totum ei me tradidi admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus* (Brut. 306). Is autem erat ἐφεκτικός, ut omnes inde ab Arcesilao Academici, qui etiam Platonem principem scholae dubitauisse de omnibus, certa dogmata repudiauisse credebant. Cui rationi Cicero per totam uitam adhaesit, quamquam Antiochus Ascalonius Philonis discipulus Academiam ad certa dogmata reuocauit. Placuit in Philone etiam quod institutionem philosophicam cum rhetorica coniungebat eum in modum, ut non solum praecepta daret, sed etiam hypotheses (quaestiones finitas) more rhetorum declamaret. Atque Cicero multo post se oratorem *non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse* fassus est (orator 12).

14. Atque ei quos primum adulescens (ante a.81) scripsit libros *De inuentione* – i.e. de prima parte rhetoricae –, multa habent philosophica e parte Philoni debita. Nam in prooemio lib. II (§ 11) se Academiae nouae q.d. sectatorem fatetur, cum dicit se *sine ulla affirmatione [...] dubitanter unum quidque dicere [...] ne cui re temere atque arroganter assentiatur*, idque facere uelle *et in hoc tempore et in omni uita*. Ad omnem uitam spectant etiam quae initio lib. I (1-4) exponit. Ibi agitur de quaestione multum uexata, eloquentia utrum plus profuerit hominibus an nocuerit. Statuit autem prodesse eam, si sapientiae adiungatur, alioquin nocituram. Quod ex eloquentiae historia demonstrat. Homines olim uixisse ut bestias; sed uirum quendam sapientem eloquentia sua eos coegisse in familias, urbes, iuris consortium. Inde ab eo tempore ciuitates a sapientibus et eloquentibus gubernatas esse, donec homines callidi, in iudiciis uersati, qui uni eloquentiae studuissent, illos sapientes de gubernatione ciuitatum deiecerint. Eos tum se uariarum artium studiis dedisse, ut soli illi disertis et pessimi plurimum possent. Ergo optimo cuique studendum esse eloquentiae, ut haec malorum potentia minuatur. – In his omnibus philosophiae Platonicae certissima uestigia insunt. Nam is docuerat non antea quiescere posse ciuitates, nisi aut philosophi reges aut reges philosophi fierent (rep. 473 C). Vnde uidemus id ipsum Ciceronem sibi in totam uitam proposuisse.

22. W. Stroh: *Cicero – Redner, Statsmann, Philosoph*, 2008

23. Chr. Schwameis: *Die Praefatio von Ciceros ‚De Inuentione‘*, ms. 2013 (edetur typis 2014)

15. Pro uiribus id Sullano tempore orator in iudiciis efficere conabatur. Tum autem uoce deficiente requiescere coactus est. Athenis igitur audiuit **Antiochum** Academiae nouatorem uel restitutorem. Qui eum, cum dubitaret num pro uita forensi hanc quietam philosophorum eligeret, reuocauit ad rem publicam (Plut. Cic. 4,3-4). Ergo Cicero et in Asia apud rhetores nobiles et Rhodi apud **Molonem** uocem et corpus firmavit, ut mox in forum Romanum redire posset. Sequebantur anni laboriosi, donec consulatum adeptus est. Neque aperte tum potuit philosophiae uacare; nec cum in Graecia exsul degere cogeretur, ex illa consolationem petiuit.

Schola V: De Ciceronis libris *De oratore* scriptis

16. Cum Pompeio, Caesare, Crasso Romae dominantibus Cicero minus in re publica posset, a. 55 aggressus est opus magnum **Platonicum**, sc. tres libros *De oratore*, sex libros *De republica*, item (incerto numero librorum, nam opus non perfectum est) *De legibus*. Quod opus triplex responsurum erat Platonis *Phaedro* (de rhetorica), *Politiae* (de optima ciuitate), *Nomis* (de legislatione). Reuocant ipsi tituli ea quae Cicero sibi in uita proposuerat: oratorem optimum fieri, optime gubernare rem publicam (quod consul fecit), legibus dandis emendare rem publicam (quod senatoris erat). Platonici etiam eo sunt, quod dialogorum formam habent, in quibus mortui loquuntur. Tantum in libris *De legibus* se ipsum loquentem more Aristotelio inducit. Aristotelem autem etiam eo imitatur, quod singulos libros prooemiis instruit.

24. G. Gawlik / W. Görler: „Cicero“ in: H. Flashar (ed.), *Die Philosophie der Antike*, uol. 4, 1994, 991-1168

17. Libros *De oratore* Cicero (ut alios rhetoricos) philosophicis suis adiunxit (de diu. 2,4). Habent autem, ut apertum est, duplex propositum: primum (1) totam **artem oratoriam** nouo more exponere, deinde (2) demonstrare oratorem omnibus artibus, praesertim **philosophia** esse instituendum. Accedit tertium magis occultum (3): se **ipsum** esse aptissimum docere, qui de philosophia scribat. Actores praecipui sunt L. Licinius Crassus et M. Antonius, disputatio autem fit a. 91. De arte oratoria ipsa (1) agitur in lib. II et III. Nam in I. II Antonius de inuentione, dispositione, memoria disputat, in III Crassus de elocutione et actione. Atque haec uidetur prima esse rhetorica Latine scripta (quamquam plerique *Rhetoricam ad Herennium* priorem esse uolunt). Secundus locus (2) ortus esse uidetur e dissensione M. Ciceronis et Q. fratris, qui oratorem satis eruditum putauit, si rhetoricis praeceptis instructus esset. Cui M. iam in prooemio I. I aduersatur. Postea de hac quaestione in I. I disputatur, ubi Antonius Quinti partes defendit; repetitur autem in I. III a Crasso, qui, cum de elocutione disserit, longa degressionem de lite philosophiae et rhetoricae disputat. Is Ciceronis sententias proferre uidetur.

25. L.P. Wilkins (ed. cum comm.), *Cic. de oratore*, 1892 (et saepius)

26. A.D. Leeman / H. Pinkster / J. Wisse: *Cic. de oratore* (solum comm.), 5 uol, 1981-2008

18. Cum enim coepit dicere de uirtutibus dicendi, subito eo abripitur, ut eloquentiam unam de summis uirtutibus dicat idque ex historia comprobet (3,55 sqq): Olim et apud Graecos et apud Romanos unam fuisse **sapientiam**, quae *cogitandi pronuntiandique rationem* comprenderet. Item fuisse magistros *recte faciendi et bene dicendi*, ut Phoenix apud Homerum (II. 9,443). Faciendi dicendique sapientia eminuisse etiam Themistoclem aliosque, eius sapientiae autem doctores fuisse Gorgiam, Thrasymachum, Isocratem. Primum Socratem commune tum nomen **philosophiae** eis eripuisse *sapienterque sentiendi et ornate dicendi scientiam* separauisse (3,61): *Hinc, ait, discidium illud exstitit quasi linguae atque cordis, absurdum sane [...], ut alii nos sapere, alii dicere docerent.* Philosophiae autem magis Graecos intentos fuisse, rhetoricae Romanos. Si quis tamen perfecte eloquens uelit esse, qualis Demosthenes fuit, eum non debere contentum esse oratoriis praeceptis, sed philosophiam addiscere, ut possit *Aristotelio more de omnibus in utramque partem dicere aut Arcesilae modo contra omne, quod propositum sit, disserere* (3,71), ut de omnibus rebus *copiose ornateque* dicat (3,76). Talem oratorem autem etiam *cumulum philosophorum artibus* adferre posse (3,143).

19. Qua disputatione Cicero et ea labefactare conatur, quae Socrates in **Platonis Gorgia** disseruit, ut cur philosophiam praeferreret rhetoricae doceret, et tacite contra ea dicit, quae ipse in libro I *De inuentione* disseruit. Ibi culpam discidii illius oratoribus malitiosis tribuit, qui sapientes e gubernaculis ciuitatum in otium expulerint, nunc id uitio Socratis, principis philosophorum, factum esse affirmat. Nec iam sapientiores hortatur, ut rhetoricam addiscant, sed oratores ut e philosophia instrumenta sibi ad persuasionem petant. Hoc modo philosophia ut ancilla sit rhetoricae deminuitur. Quae mutatio sententiarum aetati et uitae Ciceronis adscribenda est: De rege philosopho, quem Plato sibi finxerat, illo tempore desperauit.

27. W. Stroh: „Philosophie u. Rhetorik in der antiken Bildungsgeschichte“, in: *Antike im Dialog*, 2011, 11-205

Schola VI: De Ciceronis libris *De re publica* scriptis

20. Libri *De re publica* scripti ualde **Platonici** sunt. Iam initio apertis uerbis *Platonis se comitem fatetur* (Plin. nat. praef. 22). Titulus autem reuocat *Politiam*, utrumque opus desinit in narrationem magis fabulosam quam uerisimilem. – E Ciceronis libris diu paucissima fragmenta supererant, excepto *Somnio Scipionis*, donec **Angelus Mai** in palimpsesto bibliothecae Vaticanae maiores partes operis repperit, quas a. 1822 edidit Papaeque dedicauit. Nunc magnam partem tenemus librorum I, II, III, pauca e libris IV et V, e libro VI *Somnium*. Diuisum est opus ita in tres dies, ut singuli dies binos libros occupent, et in duo argumenta, quorum primum est de optimo statu ciuitatis (I-IV), alterum de optimo ciue (IV et V).

28. James E. G. Zetzel (ed.): *Cicero De re publica: selections*, 1995 (cum comm.)

21. Res agitur feriis Latinis a. 129 in hortis Scipionis Aemiliani, ubi eius amici congregantur. Post uaria colloquia aduentu nouorum hospitem saepe interrupta amici Scipionem hortantur, ut **de optimo statu ciuitatis** quid sentiat explicet. Is cum sibi non omnia placeant, quae de hac re Graeci disputauerint, rogat suos, ut se audiant ut *unum de togatis*, magis usu quam litteris eruditum (1,36). Orditur a definitione. Est igitur **res publica res populi** (quae finitio ualde Latinam linguam sapit), iuris consensu et utilitatis communione constituta (1,39). Quae quia consilio regenda est, quod aut in uno aut in optimis aut in omni populo situm est, nascuntur illa tria genera, quae Scipio Latinis uocibus designat: regnum, quod optimatum arbitrio regitur, ciuitas popularis. Quarum quaeque in uitiosum statum uicinum commutari potest. Ergo Scipio, etsi regno fauet, optimum genus id putat *quod sit aequatum et temperatum e tribus primis*. Id autem non esse oratione explicandum, sed re demonstrandum, cum Romana res publica talis sit et optima! Quod sine Academica dubitatione quasi uerissimum affirmat.

22. Atque illa in libro primo. In secundo autem Scipio **historiam populi Romani** recenset, ut quomodo id temperatum siue optimum genus ciuitatis paulatim natum sit demonstrat. Eo enim ait Romanae ciuitatis statum ceteris praestare, quod is (secundum Catonem) non ab unius legislatoris ingenio excogitatus, sed multis aetatibus constitutus sit (2,1-3). Ac iam Romulum, quamuis rex esset regnum stabiliuisse optimatum auctoritate fultum, ut ei sibi quasi pro senatu essent (2,15). Qui secuti sint reges, omnes aliquid addidisse quo ciuitas melior fieret, donec Tarquinius Superbus e rege tyrannus factus sit, quod *animal morum immanitate uastissimas uincat beluas* (2,48). Liberata autem re publica, ut populi iura firmarentur, constitutos esse tribunos plebis. Sic Scipio ea, quae Plato in commenticia ciuitate finxit, in uera illustrare sibi uidetur (2,21 sq.). Sequitur autem in tertio libro ea disputatio, a qua Plato in primo exorsus est: num **iustitia naturalis** sit et talis ut sine ea res publica geri non possit. Quod Philus negare se fingit Carneadis argumentis usus, Laelius affirmat. Proximo libro autem (IV) disputatur de uariis institutis ciuitatis, in quibus Scipio a Platone ualde dissentit.

23. Male accidit quod paene omnia e libro quinto perierunt, ubi **de optimo ciue** siue moderatore rei publicae quaeritur. In quo nonnulli Ciceronem, quod de uno rectore loqui uideatur, iam aliquid de Augusti principatu praesensisse credunt. Quos tamen iam Ricardus Heinze (1924) refutauit. Est autem pars maxime Platonica *Somnium Scipionis* q.d., in quod liber sextus desinit. Ac Plato Erem Pamphylium quendam a mortuis redisse narrauit, ut de rebus quae post mortem futurae essent doceret, Cicero talia Scipionem in somnio uidisse fingit. Qui in caelestem regionem sublatus et Scipionem Africanum et Aemilium Paullum audit, qui duo praesertim docent: esse locum reseruatam in caelo bonis ciuitatum rectoribus et immortales esse animas, ut quae ipsae se mouerent. Quae omnia eo spectant, ut Scipionem acriorem ad rem publicam tuendam reddant. Id autem etiam toti operi propositum est, ut e prooemio primi libri elucet, ubi Cicero enixe optimum quemque hortatur ut rem publicam adeat et omnia perugia quibus inertes se excusant submouet. Vbi paene accusat etiam philosophos, qui in angulis disputare de uirtute quam exercere eam agendo malint.

29. Richard Heinze: „Ciceros Staat als politische Tendenzschrift“, *Hermes* 59, 1924, 73-94

Schola VII: De Ciceronis libris *De legibus* scriptis; de Corpore philosophico

24. Subsecuti sunt libri *De legibus*, ut post *Politian* **Plato Nomos** scripsit. Vbi non Socrates loquitur, sed Atheniensis quidam, quem plurimi semper Platonem ipsum interpretati sunt. Ergo sic de legibus ipse Cicero disputat (more Aristotelico) cum Quinto fratre Stoico et Attico amico Epicureo (qui tamen suae disciplinae placita uix defendit). A Platone autem differt, quod ille in *Nomis* nouam sibi finxit rei publicae formam, diuersam a *Politia*, magis hominum consuetudini adaptatam. Cicero autem ex optima illa ciuitate, quam semel constituit, nihil mutat, sed ei suas leges accommodat (1,20). Quas tamen omnibus ciuitatibus dari posse credit. Scripsit autem annis a. 52 et 51 a. Chr. quinque aut plures libros; tum cum in Ciliciam proficisceretur, opus imperfectum reliquit. Inter philosophica sua (de diu. 2) certe non habuit. Etiam eorum quae scripsit pars periit: seruati sunt duo primi libri et dimidia pars tertii.

30. Peter L. Schmidt: *Die Abfassungszeit von Ciceros Schrift über die Gesetze*, 1969

31. A.R. Dyck: *A commentary on Cicero, De legibus*, 2004

32. Timothy W. Caspar: *Recovering the ancient view of founding: A comm. on Cicero, De legibus*, 2011

25. In **libro I** amici inter se disputant, ad quod opus Ciceroni proximum accedendum sit. Atque Atticus secundum Platonem *leges* ut aptam materiam proponit, quod Cicero sic interpretatur, ut sibi non de iure ciuili, sed de *causa uniuersi iuris ac legum* (1,17) dicendum sit. Omnis iuris initium secundum *doctissimos uiros* (qui sunt **Stoici**, quibus caute assentitur) sumendum esse ab ea *lege*, quae sit *ratio summa insita in natura*, [...] *ante nata quam scripta lex ulla* (1,18 sq.). Hoc igitur est **ius illud naturale**, impugnatum ab Epicureis. Quod Cicero antequam esse comprobatur, communionem iuris inter homines deosque esse affirmat, quod utrique rationis participes sint. Tum autem *natura constitutum esse ius* (1,28) minus ex communi sensu hominum demonstrat, qui omnes benignitatem laudent, crudelitatem oderint (et similia: 1,32), quam e ratione omnibus data: nam rectam rationem legem esse dicit et cui lex data sit, ei ius quoque. Quae Cicero concedit non nisi eis probari posse, qui honestum per se petendum esse censeant, i.e. eos, quos Antiochus nomine ueteris Academiae comprehendit. Ad quem Cicero plus quam Philonis discipulum decuit inclinare uidetur. – In **libro II** Cicero sermone paulum antiquiore leges ad **religionem** et sacra pertinentes recitat (quae leges sunt simillimae religionibus inde a Numa traditis); liber **III** leges de **magistratibus** continet. Atque hic plurimi nunc Ciceronem accusant, quod eas singulas leges non e iure naturali, quod antea constituit, deriuat. Contra Girardet secundum Ciceronem omnia ea iura esse naturalia dicit, ut deriuatione non egeant. Ac certum est non omnes leges omnibus populis conuenire.

33. K.M Girardet: *Die Ordnung der Welt: ein Beitrag z. [...] Interpretation von Cic.s Schrift De legibus*, 1983

26. Cicero belli ciuilis tempore litteris uacare non potuit. A. 47 ueniam adeptus a Caesare, quod Pompei partes secutus esset, Romam rediit. Coepit tum scribere rhetorica, primum *Brutum*, tum *Oratorem*, quibus libris interposuit **Paradoxa Stoicorum** in honorem Catonis Vticensis Stoici scripta. Quo opusculo nunc parum noto demonstrat sententias Stoicas etiam eas quae maxime a uulgatis opinionibus abhorreant populo probari posse, si artes oratorias adhibeas. Sunt autem *Solum honestum bonum* aut *Omnia peccata paria* aut *Vnus sapiens diues* et similia. Non igitur tranquille disputat, comprobatur, sed curat ut lectorum animos omni ornatu et copia dicendi commoueat. Quod genus dicendi prope accedit ad eas posteriorum philosophorum orationes, quas nunc nomine *diatribes* nuncupant.

27. A. 45 autem Cicero paene maximum operum omnium suorum conficere instituit, sc. **Corpus philosophicum** (quod uocare possimus), quo omnes partes philosophiae in dialogis tractarentur eum in modum ut singularum scholarum placita et proferrentur et nouae Academiae more refutarentur. Quale opus ne Graecus quidem ullus antea temptauit. Cuius rei consilium et dispositionem ipse explicat in prooemio quod ad librum II *De diuinatione* scripsit: logica tractatur in *Academicis*, ethica in libris *De finibus* et *Tusculanis*, physica in libris *De natura deorum*, *De diuinatione*, *De fato*. Praepositus autem omnibus est *Hortensius*.

Schola VIII: De Ciceronis Corpore philosophico: de *Hortensio Academicisque libris*

28. Vnde huius corporis conficiendi **consilium** natum sit disputatur. Plurimi id assignant initio a. 45 dolorique tribuunt e morte Tulliae filiae orto. Constat tamen Ciceronem iam a. 46 aestate his studiis uacauisse. Dicit enim tum (orator 148, cf. iam fam. 9,2,5) se oblectari non solum rhetoricis rebus, *sed multo etiam grauioribus et maioribus; quae si erunt perfectae, profecto forensibus nostris rebus etiam domesticae litterae respondebunt*. Scilicet philosophica sua aequa uult fieri orationibus, ut ipse sibi quasi omnibus numeris par sit. De consilio toto autem primum dicit in libro II De diuinatione (1-3):

Quaerenti mihi [...] quam re possem prodesse quam plurimis, [...] nulla maior occurrebat, quam si optimarum artium uias traderem meis ciuibus; quod compluribus iam libris me arbitror consecutum. Nam et cohortati sumus ut maxime potuimus ad philosophiae studium eo libro qui est inscriptus **Hortensius**, et, quod genus philosophandi minime adrogans maximeque et constans et elegans arbitraremur, quattuor **Academicis libris** ostendimus. Cumque fundamentum esset philosophiae positum in **Finibus bonorum et malorum**, perpuratus est is locus a nobis quinque libris, ut quid a quoque et quid contra quemque philosophum diceretur intellegi posset. Totidem subsequuti libri **Tusculanarum disputationum** res ad beate uiuendum maxime necessarias aperuerunt. [...] Quibus rebus editis tres libri perfecti sunt **De natura deorum**, in quibus omnis eius loci quaestio continetur. Quae ut plane esset cumulateque perfecta, **De diuinatione** ingressi sumus his libris scribere; quibus, ut est in animo, **De fato** si adiunxerimus, erit abunde satisfactum toti huic quaestioni.

34. W. Süß: *Cicero, eine Einführung in seine philosophischen Schriften*, 1965

35. K. Bringmann: *Untersuchungen zum späten Cicero*, 1971

29. De **causis** si quaerimus, scripsit prouocatus libris philosophicis et Bruti amici et Amafinii aliorumque Epicureorum, quos Italiam totam occupauisse dicit (Tusc. 1,7); deinde ut haberet quid in otio ageret seque ut consolaretur tam de rei publicae statu quam de morte Tulliae. Maxime autem uoluit philosophiae *laudem iam languenti Graeciae eripere* (Tusc. 1,5) et simul *erudire iuuentutem*, quam iam *ita prolapsam* dicit, *ut omnium opibus refrenanda sit* (de diu. 2,4). – **Extra corpus** autem haec scripta accesserunt: *Cato de senectute*, *Laelius de amicitia*, denique *De officiis*; nobis perierunt *Consolatio*, *Cato* (sc. Vticensis) et *De gloria*.

36. H. Strasburger: *Ciceros philosophisches Spätwerk als Aufruf gegen die Herrschaft Caesars*, 1990

30. Deperditus est, eheu, **Hortensius**, qui Augustini animum primum ad deum conuersurus erat (conf. 3,7 sq.). Habebat enim, ad exemplum *Protreptici* Aristotelis, cohortationem ad omnem philosophiam, non ad unam sectam. Disputant autem ibi a. 62 inter se Hortensius orator et Cicero. Ille philosophiae detrahit quod non eadem sit ac sapientia, tum quod philosophi ne ipsi quidem secundum praecepta sua uiuant et multa absurda doceant. Contra Cicero proficiscitur ab ea sententia quae quasi fundamentum ethicae uidetur: *beati esse omnes uolumus*. Atque id positum esse in animi actione, qui (secundum Platonem) soluere sese e corporis carcere debeat: cognitionem naturae autem etiam plurius esse quam omnes uirtutes. Vnde uidemus Ciceronem multum discessisse ab eis quae in prooemio I. I *De re publica* statuerat. Hortensi quidem mentem, quantum uidemus, mouit et ad philosophiam conuertit.

37. L. Straume-Zimmermann, O. Gigon, F. Broemser (ed., tr.): *Cic., Hortensius. Lucullus. Acad. libri*, 1990

31. **Academicis libri** ex eo nomen habent quod Cicero in eis rationem *Nouae Academiae* ab Arcesilao conditae, quae de omnibus dubitare iussit, aduersus *Veterem Academiam* Antiochi defendit. Ac primum materiam in duo libros diuisit, quae nunc uocantur *Academica priora*: in eis agebant Catulus, Lucullus, Hortensius, Cicero. E quibus seruatus est liber II inscriptus **Lucullus**, periit liber I, *Catulus*. Retraxit autem Cicero opus ut essent *Academica posteriora* IV libris scripta, sic ut ex uno *Catulo* unoque *Lucullo* bini libri existerent, agerent autem Varro, Atticus, Cicero. Ex his *posterioribus* nobis restat tantum pars prima **libri I**. Ergo in hac parte Varro, qui iam nonnihil philosophiae suis *Saturis Menippeis* adperserat, miratur Ciceronem, cur *Veterem Academiam* reliquerit; deinde ipse Antiochum secutus historiam *Academiae* percenset, cui etiam Stoicos et Peripateticos adnumerat. Tum Ciceronem rogat, ut de Noua *Academia* dicere pergat. Quod is facere incipit – sed mox textus in lacunam soluitur.

38. J.S. Reid (ed., comm.): *The Academica of Cicero, revised and explained*, 1874

Schola IX: De Lucullo – De libris *De finibus bonorum et malorum*

32. *Lucullus* habet quasi formam **actionis iudicialis**. Nam primum *Lucullus* **Nouam Academicam** accusat, tum Cicero eam defendit ampliore temporis spatio (Luc.: §§ 52, Cic.: §§ 84). Vterque autem non modo argumentatur, sed etiam calumniando superior esse conatur. Vt cum *Lucullus* *Arcesilaum* eiusque sectatores uelut seditiosos ciues uituperat, qui *ut illi rem publicam sic* [...] *philosophiam bene iam constitutam* perturbauerint (14). Nam *Platonem* certe *perfectissimam disciplinam* reliquisset. Imprimis aduersatur *Philoni*, qui negauit (18) *quicquam esse quod comprehendi posset* (*ἀκατάληπτον*), i.e. *uisum* (*φαντασίαν*) [...] *impressum* [...] *ex eo unde esset quale esse non posset ex eo unde non esset*. Incipit igitur a laudibus sensuum, unde cognitio ad altiora, ad rerum notitias, deinde ad uirtutum scientiam ascendat. (Vbi miramur *Lucillum* nihil dicere de *Platonis ideis*.) Per iocum addit *Ciceronem* uerum scepticum non esse, cum in consulatu saepe dixerit: „Omnia comperi“.

33. Cum *Lucullus* suam siue *Antiochi* sententiam audientibus paene probauerit, **Cicero** quasi sui patronus suam famam defendit: non ostentatione aut studio certandi ad illam philosophiam se applicauisse, sed uno ueri reperiendi studio. *Antiochum* autem accusat, quod senex reprehendat quae adulescens probauerit, tum quod suam rationem, quae re uera *Stoica* sit, *Academicam* propter nominis dignitatem appellet. Illud autem *nihil posse percipi* maxime e sensibus, qui saepe fallant, comprobatur, nec rationem per se aliquid certi afferre docet. Neque eo tolli actiones, ut aduersarii dicant, cum pro ueris sint probabilia quae sequi possis. Iocosius autem maiores adducit: qui in iudiciis testes maluerint dicere se arbitrari quam scire aliquid.

34. **De finibus bonorum** si quaeritur, de eo bono quaeritur, ad quod omnia referenda sunt, ipsum autem nusquam. Quod Graeci τέλος uocant. Cui disputationi Cicero in **lib. I** prooemium praefigit, in quo, eis ciuibus respondet, qui philosophiae Latinae infesti sunt. Tum *L. Manlius Torquatus* (a. 50) **Epicuri** rationem diligentissime explicat: summum bonum in **uoluptate** (ἡδονή) positam esse, id non rationibus probari, sed a sensibus iudicari – cum omne animal simul ac natum sit uoluptatem appetat. Quam nil esse nisi priuationem doloris, cuius tamen duae species sint, alteram *in motu*, alteram *in stabilitate*. Id ipsum Cicero in **lib. II** ualde impugnat: cum illam uoluptatem stabilem non ueram esse uoluptatem, sed aliquid inter uoluptatem et dolorem positum iudicat. Displicet etiam id, quod *Epicurus* dixit non posse iucunde uiui nisi cum uirtute uiuatur, ut uirtus uoluptati quasi ancilla seruiat. Quod Cicero (iniuria, puto) sic interpretatur, quasi *Epicurei* omnia sui commodi causa faciant. Magnifice autem se iactat quod uoluptatem illam plane euerterit. Certe hic liber est inter optimos.

39. Io. N. Madvigius (ed., comm.): *De finibus bonorum et malorum libri quinque*, 1876, iter. 1965

40. J. Leonhardt: *Ciceros Kritik der Philosophenschulen*, 1999 (de lib. 2)

35. Languidiora sunt quae in **lib. III** *M. Porcius Cato* (a.52) ad explicandam rationem **Stoicam** profert. Orditur autem a *conciliatione* (οἰκείωσις), qua animalia se diligere et conseruare incipiant: sic hominem primum ea appetere quae sint secundum naturam corporis, tum eum ratione iam praeualente illa habere pro *indifferentibus* (ἀδιάφορα), ut una uirtus (ἀρετή) bonum sit. Ea Cicero in **lib. IV** lenius refutat, cum e magna parte uera credat et summam constantiam sententiarum admiretur. Displicet ei quod a *Stoicis* mala multa, quae uidentur, praesertim corporis, ut dolor, omnino non pro malis habeantur. Probabiliora certe *Ciceroni* uidentur, quae in **lib. V** *M. Pupius Piso* *Athenis* (a. 79) de **Peripateticorum** doctrina disserit. Qui non dissentiant de *conciliatione* *Stoica*, bona autem et mala corporis, ut *prima secundum naturam*, uera bona et mala agnoscunt, multo minora tamen dicunt eis quae sunt animi et rationis. Breuissime contra dicit Cicero, qui *Stoicos* defendere conatur. Iterum respondet *Piso*. Vna remanet quaestio: Estne beata uita in manu nostra, cum illa bona secundum naturam in manu nostra non sint? An sunt quidam beati nec tamen satis beati? (81)

Schola X: *De Tusculanis disputationibus. De natura deorum.*

36. Tusculanae disputationes a loco, non a personis aut a materia nomen, habent (ut Dicaearchi *Corinthiaci libri*). Neque in eis singularum sectarum sententiae explicantur et refutantur, sed **contra propositum** disputatur, ut *A* (*uditor?*) aliquid statuatur, tum *M* (*agister?*), contra dicat (quae litterae A M mediaevales videntur). Quam rationem Arcesilai fuisse Cicero (fin. 2,2) affirmat, non dissimilem Socrati (Tusc. 1,8: *Socratica ratio*). Inesse *res ad beate uiuendum maxime necessarias* (diu. 2,2): *Primus (liber) enim est de contemnenda morte, secundus de tolerando dolore, de aegritudine lenienda tertius, quartus de reliquis animi perturbationibus, quintus [...] docet [...] ad beate vivendum uirtutem se ipsa esse contentam.* Quae hominibus doctis parum inter se conexa videntur, ut Ciceronem sine consilio scripsisse credant. Sed supplementa sunt eorum, quae in 5 libris *De finibus* omissa erant. Epicurus (de quo fin.1/2) tollebat sua doctrina et mortis et doloris metum; Stoici (de quibus fin. 3/4) leniebant affectus – quae argumenta omnia his *Tusculanis* reseruantur. Vltimus liber autem demonstrat beatam uitam esse in manu nostra, utcumque de summo bono iudicemus (fin. 1-5).

41. M. Pohlenz (ed., comm.), *Cic. Tusc.*, pars I: Libri I et II, 1912, iter. 1957

37. Lib. I: „Malum mihi uidetur esse **mors**.“ Hic Cicero enumerat uarias de natura animi opiniones, tum immortalem esse eam e consensu gentium et Platonis argumentis probat. Denique, etsi ea moriatur, mortem timendam non esse. **Lib. II:** „**Dolorem** existimo maximum malorum omnium.“ Cicero non uult demonstrare dolorem omnino malum non esse, sed tolerabilem longeque minus malum quam dedecus. Sequi autem uidetur Panaetium. **Lib. III:** „Videtur mihi cadere in sapientem **aegritudo**.“ Hic nititur Stoicis, qui aegritudinem, ut omnes *perturbationes* (affectus), in iudicio sitas putant. Vtilem esse malorum praemeditationem, cui frustra aduersetur Epicurus. **Lib. IV:** „Non mihi uidetur omni **animi perturbatione** posse sapiens uacare.“ Hic Stoice refutat Peripateticorum *μετριοπάθειαν*, acerrime inuehitur in amorem Amorisque poetas. **Lib. V:** „Non mihi uidetur ad **beate uiuendum** satis posse **uirtutem**.“ Contrariam sententiam iure dicit omnium maximum esse quae philosophia promittat. Nec tamen id pendere ex una aliqua disciplina philosophica.

38. Quaestionem *De natura deorum* ueteres partem physicae esse uoluerunt. Quam Cicero sic tractat, ut primo libro (a. 77/6) C. Velleius **Epicuri** doctrinam *fidenter* explicet, quem C. Cotta Academicus refutat; item secundo libro Q. Balbus **Stoicam** rationem exponit, qui et ipse libro tertio a Cotta redarguitur. Vtilis est catalogus opinionum, quem **Velleius** recitat, *nempe non disserentium philosophorum, sed somniantium* (1,18), cum unus Epicurus uerum uiderit terroribusque homines liberauerit, quoniam per eum uideant deos *nec sibi fingere ullam molestiam nec alteri quaerere* (1,58). Cui **Cotta** inter alia *comiter* obicit Epicureos saepe, cum aliquid parum probabile statuerint, ad id firmandum aliud inuenire, quod omnino ne fieri quidem possit (1,69). Epicurum autem ex animis hominum radicitus religionem tollere.

39. Balbus autem in **lib. II** modo subtiliter argumentatur, modo copiosa oratione audientes commouere conatur. Sic autem rem secundum leges scholae disponit, ut primum (1) *esse deos* demonstret, tum (2) doceat *quales sint*, postea (3) *mundum ab his administrari*, (4) *consulere eos rebus humanis*. Primum (1) probatur e multis: ex eo quod mundus perfectus sit, e consensu gentium, diuinatione et aliis. Natura (2) autem deorum diuersa est: nam et mundus totus deus est, et res ad uictum necessariae, ut Ceres, et heroes, ut Hercules. Mundi administratio (3) ex eius pulchritudine et ordine motuum caelestium cognoscitur. Videmus autem omnia in eo commodis seruire hominum (4). Quae cum Balbus sentit non aliena esse a religione Romana, rogat **Cottam**, qui tamen pontifex sit, ne more Academico talia refellat. Sed is respondet in **lib. III** se in religionibus sequi nulla ratione adhibita Numam et maiores, a philosopho autem se rationem religionis poscere. Ergo ista quoque acute redarguit.

42. A.S. Pease (ed., comm.): *De natura deorum libri III*, 2 uol., 1955-58, iter. 1968

Schola XI: Ciceronis libri *De diuinatione* et *De fato*.

40. Diuinatio, ut **Stoici** bene definiunt, est *earum rerum quae fortuitae putantur praedictio atque praesensio* (1,9). Quam deorum munere hominibus concessam putant. Eam Cicero, quamquam de deorum natura Stoicam rationem probabiliorem censuit (nat. deor. 3,94) aperte impugnat. Quod mirum uideri possit, cum ipse inter augures sit totaque ea disciplina rem Romanam ualde tangat, quae auspiciis a Romulo condita sit, haruspicina Sibyllinisque libris utatur. Cicero autem in prooemio libri I historiam artis ab Assyriis et Chaldaeis recenset, item philosophorum opiniones enumerat, quorum plurimi diuinationem probauerunt Xenophane tamen et Epicuro dissentientibus. Nam Peripatetici **naturalem** diuinationem, quae est in somniis et furoribus, ueram esse uoluerunt, genera **artificialia** respuerunt. Acerrimus patronus diuinationis fuit Chryippus Stoicus. Cicero autem aduersarium sibi fingit **Quintum fratrem**, qui diuinationem oratione magis copiosa quam acuta defendit (1,11 sqq.). Veram artem eam esse dicit e longo usu acquisitam, cuius ueritas ex ipsis praedictionibus comprobetur, non quod singulorum rationem reddere possit. Nec medicinam dicere posse, cur quaeque herba sanet; nec uero medicinam ideo tolli, quod ars interdum deficiat. Copia autem exemplorum fratrem obruit, in quibus sunt ipsius uersus et somnium fatidicum quod olim uidit.

41. Contra **Marcus** in libro II, longe sagacius, primum negat fortuitorum esse posse diuinationem, deinde, si, ut Stoici affirmant, omnia fato fiant, eam inutilem esse dicit, quoniam contra fatum niti non liceat. Immo etiam nocituram eam saepe, quoniam *ignoratio futurorum malorum utilior sit quam scientia* (2,23). Tum ad singula genera accedit, primum autem de artificialibus agit. Quorum **haruspicinam**, quam Stoici in rerum *contagione* (*συμπάθεια*) positam credunt, ut ridiculam irridet: Quomodo enim in extispicio uictima aliqua sua exta ei qui sacrificet subito adaptare possit? Item fulgura et ostenta tractantur. Quae quamquam nulla sint, haruspicinam rei publicae causa retinendam Cicero censet. Minus perspicua sunt quae contra augurum **auspicia** disputantur. Quae primum negat praedictionem habere, deinde temporum decursu ita deprauata esse, ut uera auspicia non iam sint, denique nulla omnino esse. Tamen *ad opinionem uulgi et ad magnas utilitates rei publicae* auspiciis parendum esse (2,70). Adiunguntur omina, sortes, **Chaldaeorum** i.e. astrologorum praedicta, tum etiam genera naturalia, **furores** et praesertim **somnia**, ubi de suo quoque Cicero dicit. Qui cum multa iocose disseruit, in fine libri grauissimis uerbis superstitionem uituperat, quae iam *per gentes oppresserit omnium fere animos* (2,148). Quam suo scripto funditus sublatam sperat salua tamen religione. Nusquam fere tam serius et uehemens in philosophicis fuit!

43. A.S. Pease (ed., comm.): *De diuinatione libri duo*, 1920, iter. 1963

42. Liber *De fato* ab hominibus doctis olim contemptus nunc paene ut optimus omnium quae Cicero philosophus fecit laudatur. Vt doleamus eum imperfectum relictum esse. Aggressus est enim materiam spinosissimam, quae nunc quoque philosophos sollicitos teneat: fiantne omnia fato i.e., ut Stoci uoluerunt, inexorabili quodam *nexu causarum*, an, ut Ciceroni uidetur, sint quaedam *in nostra potestate* aut, ut posterius dixerunt, sit aliquod *liberum arbitrium*. Ea quaestio non **physicam** solum tangit, cum de causis rerum disputetur, sed etiam **ethicam**, quoniam qui necessariis causis coactus agat non in culpa uideatur, et **logicam**, quia quaeritur, num de futuris uera dici possint, si fatum negetur. Hic Cicero, qui fatum tollit, aliquatenus cum Epicuro semper inimico consentire uidetur, quoniam is omnia per causas fieri negauit, ut suis atomis liberam declinationem concederet; Cicero autem causis plus tribuit, ita tamen ut hominis uoluntatem ipsam inter causas numerare uideatur – si e reliquiis iudicare licet. Disseritur autem contra propositum: „Mihi uidentur omnia fato fieri.“ Tum Cicero refutat ea quae Stoici protulerunt: (1) diuinationem, (2) ea quae de futuris uere dicantur, (3) seriem causarum, quarum alias perfectas, alias adiuuantes Chrysippus statuit in eis quae de cylindro uolubili disputauit, qui cum extrinsecus impulsus sit, tamen sua natura moueatur.

44. R.W. Sharples (ed., comm.): *Cicero: On fate and Boethius: the Consolation of Philosophy IV 5-7*, 1991

Schola XII: Ciceronis *De officiis* libri. De Lucretio I.

43. Extra opera quae *Corpus* q.d. constituunt alia Cicero senex scripsit ad ethicam spectantia, ut *Catonem de senectute* et *Laelium de amicitia*, quae dialogi formam habent. Longe maiores sunt tres libri *De officiis*, in quibus Cicero ipse Marco filio suo praecepta dat de recte uiuendo. Sequitur autem, ut fatetur, e magna parte **Panaetium** Stoicum, qui tres libros Περὶ τοῦ καθήκοντος confecerat, cui uoci suum *officium* Cicero aequum ualere uoluit. Negliguntur hic autem ea, quae Stoici de summo bono, de adiaphoris, de affectibus docuerunt. Neque enim *officium* id dicitur quod *perfectum officium* sit (κατόρθωμα), sed *medium* seu *commune officium*, cuius *ratio probabilis reddi possit* (1,8). Quae certe parum accurate disseruntur: Tandem in libro tertio (3,14) *perfecta officia* sapientium esse dicuntur, *media* communium hominum, ut sint *secunda quaedam honesta*. Deducuntur autem e duobus fontibus, quorum alterum est *honestum* (καλόν), alterum *utile* (συμφέρων). Quae minus e philosophia Stoica quam e genere deliberatio rhetoricae sumpta puto. Materia autem a Cicerone sic disponitur, ut in libro I de honesto, in II de utili agatur. Liber III ea tractat, in quibus honestum et utile inter se pugnare uideantur. Quam partem Panaetius promiserat quidem, sed omisit (3,7-8).

45. Andrew R. Dyck, *A commentary on Cicero's De officiis*, 1996

44. Fundamentum doctrinae ethicae, quae ad honestum (lib. I) pertinet, sunt nominibus paulum mutatis quattuor *uirtutes cardinales* q.d., quas Plato olim tribus partibus animi humani assignauit (rep. 427 E sqq.), Panaetius autem eas e ratione deducit, quae hominis propria eum a bestiis distinguit. Harum prima est *ueri cognitio* (18-19), secunda (quae latissime patet) partim *iustitia*, partim *beneficentia* (20-60); tertia accedit *animi elatio*, quae in laboribus periculis rebusque publicis gerendis cernitur (61-92); ultima *temperantia*, quae et sedationem affectuum habet et id quod Graeci πρέπον i.e. *decorum* nominant (93-151). Hic Cicero praecipit quid ubique petendum et fugiendum sit, quorum plurima Romanorum moribus conueniunt. Etiam magis Romanae indolis uidetur liber II, ubi de commodis ex amicitia, gloria, arte oratoria, liberalitate aliisque agitur. Liber III de ea discrepantia agit, quae Ciceroni nulla uidetur, cum uerum utile cum honesto pugnare non possit, tantum id quod speciem utilitatis habeat. Omnia de officiis praecepta plena sunt prudentiae sanique iudicii, quamquam subtilissime disputata non sunt. Vnde alii hoc Ciceronis opus laudibus paene in caelum sustulerunt, alii ut parum diligenter factum contempserunt. Meminerimus certe id Ciceronem filio scripsisse. – Omnino num Cicero philosophus fuerit disputatur. Obiectum est ei olim, quod in uita se parum pro philosopho gessisset; nunc potius reprehenditur, quod uetustiores exscripserit, nihil noui ad philosophiam attulerit – sed id magis poetarum quam sapientium uidetur. Ipse certe quam maxime philosophus etiam in re publica sibi uisus est.

45. Eodem fere tempore quo Cicero *De oratore* et ceteris scripsit (c. a.55), etiam **T. Lucretius Carus** suum carmen *De rerum natura* condidisse creditur – contra disputante tamen Gregorio Hutchinson, qui id initio belli ciuili (49 a.Chr.) assignat, quo tempore ratio Epicurea multis Romanis, ut Vergilio, arridebat. Cicero hunc quasi riualem semel cum admiratione et ingenii et artis commemorat (ad Q.fr. 2,10,3). Difficile sane erat aridissimam partem doctrinae Epicuri, quae est physica, in hexametros uertere (qualia Cicero ne in prosa quidem temptauit). Vnde iure Lucretius gloriatur *auia Pieridum loca* se peragrauisse (1,926) quoniam *obscura de re tam lucida carmina* pepigerit. Fuerat autem Epicurus ipse infestior poetis – amicus Stoicis sentientibus de eis –, quare Lucretius in carminis arte Empedoclem Siculum imitatur, quem una cum Ennio ut exemplum suum ueneratur. Titulus autem conuersus est ex Epicuri Περὶ φύσεως libris, quorum materiam sic in sex libros diuisit, ut duo primi essent de atomis ipsis eorumque motibus, tertius et quartus de anima et animo, ultimi de rebus caelestibus.

46. Gregory Hutchinson: „The date of *De Rerum Natura*“, *CQ* 51, 2001, 150-62

Schola XIII: De Lucretio II. De poetis aetatis Augusteae.

46. Nec cognitio rerum naturae per se ualet, sed maioribus seruit. Duo enim sibi Lucretius maxime proposuit: nempe ut homines et **religione i.e. metu deorum** et timore mortis liberaret. Nam de primo iam in prooemio libri I id assecutum esse Epicurum gloriatur, quod *Graius homo mortalis esset oculos ausus tendere contra religionem a caeli regionibus* minitantem; eum effregisse *naturae portarum claustra* atque *omne immensum mente* peragrauisse, ut referat, *quid possit oriri, quid nequeat: Quare religio pedibus subiecta uicissim / obteritur, nos exaequat uictoria caelo* (1,62-79). Nemo ardentius umquam uim philosophiae cecinit. Sunt autem omnia in eo posita ut cognoscamus nihil fieri ope deorum, omnia secundum *foedera naturai* (1,586): unde primum est nihil fieri ex nihilo, secundum nihil in nihil dissolui. Quae plurimis argumentis comprobatur. Nusquam autem ritus Romanae religionis impugnat, sed *uates* quosdam culpatur. Neque cultum deorum tollit, sed purius coli uult diuum naturam, quae *nil indiga nostri / nec bene promeritis capitur neque tangitur ira* (1,48 sq.). Quam sententiam multi dixerunt pugnare cum eo quod initio operis Venerem inuocet rogetque ut pacem Romanis donet. Sed haec *Venus* generationis causa (*quae rerum naturam sola gubernas*, 1,21) allegorice interpretanda est, ut sit quasi *Φιλία* Empedoclis.

47. Item iam in primo prooemio uim religionis uatumque eo niti dicit, quod homines **mortem et aeternas poenas** timeant (1,102-111). Vbi nunc iniuria Lucretium reprehendunt quod aetate doctrinae plena obsoletos terrores protulerit. Nam is ipse nouit plurimos homines se harum rerum incredulos simulare, putat tamen eos in aduersis rebus multo aliter sentire (3,41-56). Quod autem de Tityi Sisyphique laboribus disputat, non tam eos a poetis fictos esse demonstrare uult, quam allegorice pro cupiditatibus intelligendos, ut illic amor, hic ambitio designetur (3,984-1002). Multos autem affectus e mortis metu occulto nasci credit. Qui pellitur, cum intellegimus tam animum, quae sit pars hominis, quam animam, quae per corpus dispersa sit, corporea esse et e minutis atomis constare: gigni autem ea pariter cum corpore, pariter perire. Valet igitur Epicuri sententia (R.S. 2): *Nil igitur mors est ad nos neque pertinet hilum* (3,830). E ceteris affectibus inimicissimus est amor, quem a uenere distinguit: hac fruendum esse, hunc fugi debere (l. IV). – Haec omnia Lucretius puris uerbis ac Latinis disserit, Graecis aut neologismis uitatis. Quem Vergilius Ouidius alii summis laudibus extulerunt. Totum refutare conatus est Card. Melchior de Polignac in *Anti-Lucretio* (1745).

47. Richard Heinze (ed., comm.): *T. Lucretius Carus, De rerum natura Buch III, erklärt v. R. H.*, 1897

48. Nec poetae **aetatis Augustae** a disciplina Epicurea prorsus abhorrebant. Nam **Vergilius**, cum a rhetorum scholis ad *beatos portus* philosophiae transiret, Sironi Epicureo se addixit (catal. 5). Tum in cosmogonia eclogae VI *magnum per inane coacta semina* Lucreti inducit (31 sq.) et amorem Pasiphaes deplorat tam paene infelicem quam postea Didonis amor futurus erat. In Georgicis autem eodem igne bestias hominesque corripit dicit: *amor omnibus idem* (3,244). Epicureum etiam credideris, cum initio Aeneidis quaerit: *tantaene animis caelestibus irae?* (1,11) Quod uerum fateri cogitur. Longe ab Epicuro distat notissima catabasis (Aen. 6), in qua tam Orcus inest quam animarum migratio; et quae de cosmogonia docentur, Platonem et Stoam sapiunt. Vnde notum: *Mens agitat molem* (727). Et Aeneas, ex quo discimus *uirtutem uerumque laborem* (12,435), sapienti Stoico similior est. – Et **Horatius** ab Epicuri disciplina profectus est. Nam cum in Academia educatus ad Philippos naufragium fecisset, transfugit ad Epicuri hortos rebusque publicis ualedixit. In Saturis Epicureum se gerit (cf. 1,6), inanes cupiditates ad beatam uiam nil pertinentes castigat, ut auaritiam (1,1), amorem matronarum (1,2); amicitiam ex utilitate aestimat (1,3), deos nihil curare humana credit (1,5). In Epodo XVI per insulas beatas uitam Epicuream commendat. Sed in Carminibus lyricis sese Augusto religionis fautori adaptat, ab *insaniente doctrina* Epicuri deficit (1,34), deos ubique (ut in Carmine saeculari) inuocat. Etiam rem publicam sibi nunc *desiderium* esse fatetur (1,14,18). Sed haec non pertinent ad doctrinam proprie moralem, ubi sibi semper constitit.

Schola XIV: De L. Annaeo Seneca

49. Nemo fortasse umquam eloquentius de philosophia scripsit quam **Seneca**. Nec sat habet, ut Cicero in multis, philosophorum placita dilucide exponere quidque ex eis uerissimum sit perpendere, sed ardentissime ad recte uiuendum hortatur. Vnde nunc quoque plurimum legitur. Etiam Christianis ualde placuit. Fuit orator suo tempore praestantissimus, fuit Neronis adolescentis praeceptor, per quinque annos rem publicam feliciter gubernauit (quasi rex philosophus, qualem Plato postulauerat), scripsit etiam tragoedias. Accusatur tamen a Quintiliano (10,1,125 sqq.), quod sententias nimis captauerit, in philosophia parum diligens.

48. Gregor Damschen & Andreas Heil (ed.): *Brill's companion to Seneca: philosopher and dramatist*, 2014

50. Cordubae paulo a. Chr. natus puer Romam uenit. In iudiciis uersatus denique quaestor factus est. **Philosophiam** ei commendauit mala ualetudo (epist. 78). Inter magistros numerat Attalum Stoicum, Sotionem item Stoicum animalium in epulis contemptorem, Fabianum Papirium e schola Sextiorum (quae *Romani roboris secta* dicitur, nat. 7,32,2). Ad Stoicos semper propensus tamen non ante A.D. 56 se Stoicum aperte dixit. Iam **Consolatio ad Marciam**, qua affectum maeroris eius, quae filium perdidit, sanare conatur, et ualde Stoica et prudentiae plena est: demonstrat enim ipsum maerorem uoluntarium esse uitium, quem illa *in filii locum superstitem sibi fecerit*. Subiacet illud Chrysippi κρίσεις εἶναι τὰ πάθη. Atque hoc Seneca sub Caligula scripsit; quo (A.D. 41) interfecto fortasse tres libros **De ira** confecit, quem, *dum alteri noceat, sui negligentem*, foedissimum affectum iudicat. Hic in libro II diligenter, quid Stoici de affectibus iudicent, explicat: eos non *intra nos insciis nobis* oriri, sed *animo approbante*. Liber III denique irae remedia demonstrat. Eo ipso anno Messalina imperatoris Claudii uxor curauit, ut Seneca in exilium eiceretur. Fuit autem octo annos in Corsica. Vbi duas *Consolationes* confecit ualde diuersas. In prima **Ad Heluiam matrem** scripta philosophum se praebet, quem nulli labores frangere potuerint, *laetum et alacrem uelut optimis rebus*; quare ne matri quidem dolendum esse dicit. In altera, quam scripsit **Ad Polybium** Claudii libertum potentissimum, qui fratrem amiserat, paene omnia instituit, ut tam liberto quam Claudio seruiliter blandiatur eo consilio ut ipse Romam reuocetur.

51. Messalinae occisae successit Agrippina. Quae Senecam A.D. 49 reuocatum Neroni filio suo praeceptorem dedit. Cuius potentia ut *amici principis* ualde creuit, cum Nero ipse nondum XVII annos natus nouus Caesar acclamatus, Britannicus riuialis interfectus esset. Sequebatur annis 54-59 aureum *Neronis quinquennium*, quo Seneca cum Burro praefecto praetorio gubernacula rerum tenebat. Adulatus est nouo principi in **Apocolocyntosi**, satura Menippea; praecepta ei dedit (A.D. 56) in libris **De clementia**, ubi eum ad illam uirtutem maxime regiam, a misericordia diuersam, hortatur. Iaciuntur autem hic fundamenta monarchiae, cum princeps dicatur *spiritus uitalis rei publicae*, cui, si non obtemperet populus, omnia corruturata sint. Sed A.D. 62 cum ab aulicis inimicis male audiret, a Nerone petiuit, ut a rebus publicis secedere liceret idque, quantum potuit, fecit. Defendit autem hanc uitae rationem parum Stoicam uisam in dialogis **De tranquillitate animi** et **De otio**. His ultimis uitae annis scripsit denique opera grauissima, **Naturales quaestiones**, in quibus diligentius quam Romanus ullus in res physicas inquisiuit, tum totius **Philosophiae moralis** compendium, quod periit, denique **Epistulas morales**, quibus *posterorum negotium agit*, immortalitate dignissimis. Seruati sunt etiam XII **dialogi** q.d., e quibus, praeter supra nominatos, grauissimus fere est liber **De uita beata**, in quo Seneca suam siue philosophorum uitam aduersus obtrectatores defendere conatur, qui eos aliter docere, aliter uiuere clamant. Utitur autem doctrina Stoica: ex adiaphoris quaedam magis petenda esse, quaedam minus. Vnde se recte fecisse, si diuitias sibi oblatas non recusauisset. Senex autem ab hac ratione aperte destitit. Nam in epist. 8 sero se rectum iter inuenisse clamat: omnia *munera fortunae* ut *insidias* fugienda esse. – Cum autem a Nerone ad mortem cogeretur (A.D. 65), reliquit suis, ut ipse dixit, *imaginem uitae suae* (Tac. ann. 15,62).

49. Miriam T. Griffin: *Seneca: a philosopher in politics*, (1976) 1992

Schola XV: De philosophis Christianis

52. Fueruntne antiqui Christiani philosophi? **Iesus** ipse uix inter philosophos, magis inter uates, numerandus uidetur. Quae sane praecepta moralia dabat, ea more antiquo a uita beata initium sumebant (sic in Sermone in Monte habito, Matth. 5,3-12), spectabant autem ad regnum dei, quod Iesus ut mox futurum praedixit. Nec quisquam e ueteribus philosophis aegrotos sanauerat. Videtur tamen, ut philosophi Cynici, una cum discipulis (Matth. 10,5) loca uaria peragrauisse, ut a plurimis audiretur. Quem morem sequebatur etiam **Paulus apostolus**, qui ethnicos in Graecia et Asia adibat. Is illa a Iesu dicta non multum curabat, sed ipsum Christum uenerabatur ut eum, qui passione et resurrectione peccatum illud originale Adami sustulisset (Rom. 5,12 sqq.). Aliter philosophi ueteres, qui sane conditores sectarum suarum, sed ut magistros colebant. Resurrectionem certe Stoici et Epicurei Attici deridebant (act. 17,32). Platonem sapit Pauli praeceptum, ut secundum spiritum, non carnem uiuendum sit (Rom. 8,5 sqq.). Eius quattuor uirtutes tribus *fide, spe, caritate* (1 Cor.13,13) auxisse dicitur.

53. Sed haec Aramaica et Graeca. Inter Latinos scriptores Christianos primus eminet Septimius **Tertullianus**, qui in *Apologetico* (A.D. 197) Christianam disciplinam aduersus paganos defendit. Ac more philosophico unum deum, non plures, esse demonstrat (10-28); inde (29-45) explicat cur Christiani sacra ferre Caesari nolint. (Nam dissimiles Ciceroni et Varroni, qui inter theologiam ciuilem et naturalem distinguebant [Cotta in: nat.deor. 3,5 sq.], Christiani unam theologiam seruabant.) Christianos autem et doctrinae ueritate et uitae puritate philosophis superiores esse (46-49,3). Atque ut Tertullianus Ciceronem oratorem, sic eundem philosophum imitatur **Minucius Felix** in *Octauio* dialogo, ubi Caecilius contra Christianos disputans quasi Cottae Academici personam gerit, Octauius patronus Christianae religionis multa e Balbo Stoico sumit. Ergo ea religio quasi disciplina philosophica argumentis munita uidetur, quod longe abhorret a paganis religionibus doctrina carentibus.

54. Ab imperatore Constantino noua aetas litterarum Christianarum incipit. Cuius filium Crispum L. Caecilius **Lactantius** erudiebat, *fluuius eloquentiae Tullianae* (Hieron. epist. 58,10,2). Qui in libro *De opificio Dei* Stoicorum uestigia premens hominem a creatore artificiose dispositum docuit; postea philosophis omnibus aduersatur in eis quae *De ira Dei* scripsit. Omnem autem disciplinam uerae religionis complexus est in VII libris *Diuinarum intitutionum* (opus singulare). Libris I et II unum deum probat originemque malorum daemonum ostendit. Libro III refutat philosophos summumque bonum in immortalitate ponit. Christianior est liber IV, quo Christus Dei filius ut exemplum sapientis perfecti proponitur, et liber V, quo uera pietas Christianorum impiae pietati Aeneae opponitur. Liber VI explicat philosophiam moralem, VII prospicit in immortalem uitam Christianis destinamam.

55. Longe maiore auctoritate nunc fruitur Aurelius **Augustinus**. Multa eius scripta in intima philosophia uersantur, praesertim **dialogi** quos post conuersionem scripsit (A.D. 386), ut *Contra academicos, De beata uita, De ordine, Soliloquia*. Ciceronem, cuius *Hortensio* se ad amorem Dei incensum fatetur (conf. 3,7), refutat, cum dubitationem illam Academicam inutilem ad uitam beatam esse demonstrat. *Os illud Platonis* autem ait in *philosophia purgatissimum* esse (ac. 3,41). Quem secutus in Dei cognitione uitam beatam positam putat. Placebat autem ei in Platone mundus intelligibilis, animus immortalis, contemptio corporis. Quorum pars in catholica religione nunc quoque permanet. Nec tum ipsum Platonem legerat, sed *quosdam Platoniorum libros* (conf. 7,13). Longe notiora autem nunc sunt duo opera: **Confessionum** libri XIII, quibus Deo ipsi errores suos et ueritatem sero repertam (8,29) fatetur; et **De ciuitate Dei** libri XXII, qui omnem historiae memoriam comprehendunt et ueram ciuitatum naturam aperiunt: Vbi esse docet inde ab eo quod Cain fratrem Abel occidit duas ciuitates, alteram diaboli, alteram Dei. Quas, cum nunc inter se confusae sint, olim dissolutum iri; tum sanctos in corpore (quod Platonici negent) Dei perpetua uisione fruituros.